



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæ miracula facta dum ad capiendu[m] Dominum veniunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

David itaque Typus Domini transeuntis erat. Ille quidem filii furias euasit, Christus se obtulit; nam ad locum venit, non fugæ causa, sed ut inueniretur.

VERSUS 2.

Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

QUESTIO I.

Vnde sciebat Iudas?

§. 1. Frequenter eo solebat accedere Dominus, nec dubitabat, ea etiam nocte venturum Iudas. Voluit in horro capi Dominus, nam in horro captum erat humanum genus, frequenter eo se conferebat Dominus, quasi in Palestinam, in qua initium erat sumptus sui certaminis. Hinc & Iudas locum notat.

§. 2. Oportune monet hoc loco Rudolphus Gualteri Caluinianus, Iudam typum esse hæreticorum, qui Scripturas corrumpunt, maxime apostatarum. [Vt enim, inquit, eius, (Scriptura) mysteria quodammodo degustant, ita norunt fere, qui primi oppugnandi sunt, quibus utendum artibus, & qua parte vires adhibere maxima oporteat. Exempla huius rei in hæreticis habemus, qui cum Ecclesiæ societatem relinquunt, fere horribiles turbas dant, dum ex Scripturæ hortis decerpunt flores, sophisticis artibus contexunt, & infimis faciem faciunt, quorum multos suis dolis in errorem inducunt. Probat exemplo Iuliani. Et concludit: Norunt enim hortos illos, & saepe in eos ingediuntur, non ut Christum & Ecclesiam eius iuuent, sed ut producant: ita fit, ut quæ per se salutaria sunt, illis letifera fiant.]

Nihil dici potuit melius, nihil quod in dicentem conueniat aptius, qui apostata præceptores habuit, qui hortos Scripturæ ingratissimos, flores eius dictis impis, & laculentis alumnis suis, tanquam aconito intexit, & illi s qui mendacium amplexi resistent veritati faciem facere petgit. Omnes autem hæretici Scripturam ingrediuntur non ducti à Christo, nec eas ex Christi mente interpretantur, sed Iudas & gentes eo ducunt, ratiocinationes philosophicas, fabulas ludæicas; imo nostrates cum fingunt nihil credendum nisi Scripturæ verbis continetur, hoc Scripturam sibi fidem auferunt hoc est enim ἀφεσιν. Traditiones autem de veritate, & interpretatione Scripturæ retinendas non esse, etiam interdum ipsi hæretici fatentur, sicut & Iudas cum prodicionem suam ipse damnavit.

Atque T. 3. cap. de traditionibus inter multa falsa hæc verba docet. Secunda questio quæ sint igitur admittenda ἀφεσιν? Respondemus, quæ sacra litera consona sunt, & quæ cum Apostolorum scriptis non pugnant. Hoc rectè. Nihil enim pugnant alteri veritati, verum esse potest. Eius generis, inquit, quedam sunt apud Epiphanium. T. 1. l. 2. & 3. & apud Basilium, & Tertullianum. Qualia sunt sanctificatio diei dominica, Baptismus infantium, Symbolum Apostolorum, qui sint libri canonici. Quæ sit veræ Scripturæ interpretatio. Paulo ante dixerat. Vniuersales traditiones & obseruata necessaria sunt: Symbolum Apostolorum, qui sint libri canonici, quæ sit interpretatio præcipuorum locorum Scripturæ, &c.

Has igitur cum violent hæretici, holum Scripturæ ingrediuntur, non ut inueniant, sed ut prodant Dominum. Nec magis illis credendum est de Scripturæ disputantibus, quam Iudæ Christum querentibus.

VERSUS 3. 4. & seq.

Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Phariseis ministros: venit illuc cum laternis & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis, Quem queritis? &c.

QUESTIO I.

Quæ miracula facta dum ad capiendum Dominum veniunt?

§. 1. Primum est, quod oculos eorum percussit cecitate, ne ullus saepe visum agnosceret. Deinde vocem quoque saepe audiam ignorabant. Nam multos fuisse qui eum audissent, verba Christi ostendunt, cum dicit: Interroga hos hi sciunt, quid dixerim ego. Tercio vno verbo cum diceret: Ego sum, velut turbine omnes prostravit, ut supini caderent, magno sonitu cohortis intergra cum Iudæis, eorumque ministris, ingenti etiam indignatione cum ad terram cum armis alliderentur, multiq; ut conferti stabant, in se mutuo impingerent. Denique cum etiam Apostolos incrimis Petrum præfessim, qui gladium in serum Pontificis strinxerat, facile capere potuissent, omnino abstinerunt, arcano dominicæ vocis imperio ligati.

§. 2. Opportuna vero erat illa diuinæ potentie demonstratio; etsi enim militum furor sic non est mitigatus, sed magis casu concitatus atque exasperatus, conuincere tamen voluit etiam contumaces, quibus non sine infirmitatis exprobratione dicit: Dixi vobis, quia ego sum, quasi dicat. Cur in me manus non infecistis, cum dicerem me esse? cur retrosum abyssis? Ecce tota vestra potentia quasi arena exigua in mea est manu, & quos verbo dicens, poteram surgendi lapidis vires auferre. Neq; dubium etiam huius miraculi fuisse aliquid inefficaciam, cum audita Apostolorum prædicatione recordarentur Christum sponte se in mortem dedisse, se nec cognoscere, nec oblatum ultro apprehendere potuisse. Quin etiam illud quod milites passim narrabant sibi accidisse, magnam admirationem in commilitonibus, & cæteris tam fidelibus, quam infidelibus parabat; Apostolos etiam animosiores reddidit, cum totum exercitum supinum iacere ante pedes cernerent; hinc & Petrus postea in inuenientes gladium strinxit, de quo, & anticula re integrata miraculo apud Matthæum dixi.

§. 3. Questum est à multis, quomodo ausi fuerint in Dominum manus iniicere, postquam adeo facile se prostratos viderunt, ne timuerint grauius aliquid malum? Non est mirum in ultimo actu tam fuisse obstinatos, quos nulla olim miracula mouerant, qui etiam Lazarum occidere cogitabant. Videntur Pharisæorum cohortationibus incitati, quia potentiam diuinam, quam experiebantur, magicis artibus rebuscabant. Depingit ista grauius verbis Nonnus, in quo tamen non probo, quod perire pronos cecidisse dicat. pag. 103.

Καὶ ὡς ἐφ' ὅσον ἔατο λαὸν
Ἀέρον πῦρ, αἰσιν δὲ ἀνὰ τὴν ἐξουσίαν Φωνῆς
Πάντες ἐπ' αὐτὸν ὡς μαγισμοὺς ἀπὸ δ' ὡσπερ
Ἀπομακρὸς τῶν ὀφθαλμῶν ἐπετίμων τὸν καὶ
Πηνυρεός, ἐπὶ τὴν φωνήν, αὐτὸς δὲ λαλῶν τὴν Φωνήν.

VI

Vi vero populo locutus rex, molli thorace vestitus, ferro carens, vocem viutorum ruptice, omnes super se inuicem bellatores clypeati, vltro cadentes, prosternantur in puluerem. Proni, inermi procella vocis, quasi cæstro stimulat.

Itaque iam domitos & trepidos confirmat, & quasi imperator mandata dat, ut Apostolos dimittant, quia voce illis in se potestatem permisit. Recte Chrysostomus p. 421. *Τὸ ὡς αὐτὸς κατέρχεται, ὡς ὁ μὲν ἰδὼς, ἢ ὅτι ἰδὼν αὐτὸς διώκει τὸν ἄνθρωπον. Quis igitur ipsos continuit? Alius quidem nullus. Verum, quia ipse supinos deiecit potentia. Fuit igitur non Apostolorum hoc facinus, sed superna virtutis.*

VERSUS 9.

Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdi ex eis quenquam.

QUESTIO I.

An nulla sint merita sanctorum quia Christus socios Apostolos in morte noluit?

S. 1. Interpretes & Patres in eo conveniunt, ut inter alias causas, cur subire solus mortem Dominus voluerit, etiam hanc esse. Ne satisfactio pro peccatis nostris, ne meritum salutis, ne redemptio ulli alteri quam Christo adscriberetur, nec enim Petrus pro nobis crucifixus est, nec gladio cæsus Paulus. Optime Cyrillus, quem citat Rudolphus Gualteri. Vnum mori oportuit, sufficientem pro vita omnium redemptionem: ut & mortuorum, & viutorum imperium acciperet: Ne quis illud ridiculam veram esse putaret. Apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisse, cum libertatis enim ab interitu, etiam Apostoli iure connumerantur. Vnus enim nobiscum illos fuisse naturam constat, in quos imperium mors suam exercuit. Solus ergo qui ex vno Patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam, quæ post mortem, coniunctam secum naturam secuta, vitam nobis dedit, quæ mortis laqueos possumus pervicare.

Hic Sæctarius. [Vides in his, quam procul ab his abfuerit veteris Ecclesiæ doctores, qui hodie diuorum cœlitum meritis salutem nostram adiuuari clamant, & eo argumento superstitionum illorum cultum tuentur.]

Respondeo. Cyrillum ne quidem latum vnguem à nobis recedere: nos enim soli Christo redemptionis integerrimæ, sufficientissimæ, infiniti meriti gloriam tribuimus. Imo non modo factum fuisse, sed nec fieri potuisse docemus, ut homo purus, qualis fuit mater Dei, Apostoli, aut etiam Angeli satisfacerent & ex iustitia mererentur redemptionem. Dicimus illum non modo satisfecisse æqualiter, sed abundanter, ipso operum valore, pro peccatis, pro pœnis. Satisfecit ut homo, si actiones spectes, sed earum dignitas, & æstimationis moralis erat ex diuina persona. Et si millenæ essent mundorum myriades, & omnium peccata in maiora infinitis modis quam huius mundi, omnibus tamen delendis vna sanguinis gutta sufficeret. Tantum abest, ut additamento humanorum meritorum, vel auxilio egeant merita Christi. Hæc doctrina Catholica. Clement. 6. Extrat. Vnigenitus. Sic omnes Scho-

lastici in tertiam partem D. Thom. lege Suarezum T. 1. disput. 4. tota. Calumnia igitur maligne doctrinam Catholicam grauat: contrarium enim omnes docemus.

S. 2. Nec idcirco tamen veteris Ecclesiæ doctores merita sanctorum reiecerunt, etsi negarint Christi meritis auxilio fuisse: nec enim nationem, ieiunia, mortem sanctorum reiecinus, quia illa & Christus fecit: nec ideo illa honesta non sunt, quia Christi fuerunt honestissime, nec ideo ingrata Deo, quia Christi opera fuerunt gratissima. Sanctorum merita aliis siue sanctis, siue improbis nihil conferunt ad redemptionem, nec enim alteri mereri alter vitam æternam potest, de vero merito, & quod de condigno vocatur loquor. Nam de congruo fieri potest, ut Dei bonitas alicui misericordiam impendat alieni meriti respectu, & efficaciter eum sanet merito Christi, non quod meritum Christi iuuetur merito seruorum Christi, sed quia hoc serui Dei expectant, sicut, cum Stephanus pro lapidatoribus orauit, pro Paulo exorauit, pro quo tamen & Christus rogaret iam ante mortem, non quod Stephani oratio Christi orationem adiuuaret, absit blasphemia. Sed quod Christi merito Paulum iustificare Deus voluit, orante Stephano; nam etiam respectum martyris sui Deus habuit, cuius oratio erat ex fide, spe, charitate, & vti ista omnia, sic & ipsa ex meritis Christi. Quod de oratione dicimus, id etiam de meritis veteres dixerunt. De meritis sanctorum alibi ostendi vere sentire nobiscum, nunc quia aduersarius Cyrillum quasi consentientem suæ Ecclesiæ producit, & Diuum appellat, eius solius utat auctoritate, quam ipse cum laudarit, subtergere non potest.

Ille libro 4. de vita hominis iustificati hunc in modum scribit. Palladius. Sic igitur, pag. 377. erit nobis existimandum participes vos futuros eorum, quæ sancti viri ad suum ipsorum commodum, atque gloriam feliciter gesserint, in eo quod viros se praestiterint, summoque studio curarint, ut laudem mereri possent. Respondet Cyrillus, verum id esse. Tamen in nos quod, inquit, sua ex charitate Dei dona refundit.

Et paulo post. Aliæ quoque ratione, non inutilis, est ceteris hominibus ille sanctorum virorum splendor: illorum namque rebus bene gestis, nostra infeliciter gesta obruuntur. Et cum nobiliorum virorum animi magnitudinem noster ille virtutis amator, &c.

Versu 14. Quæ interiecta sunt, in quibusdam sunt omittenda. de quibus in notis Franciscus Brugensis in Matthæo explicui.

Versu 15. Quis fuerit ille discipulus incertum est, plerique putant Euangelistam fuisse. Vide r. T. Baronius.

Versu 20. In occulto aliqua locutus est, instruens discipulos, non autem erant illa ad turbas, aut seditiones concitandas. Ita Chrysostomus hoc loco. & Theophylactus.

Pro mundo, Syrus habet: apud populum. Omnes Iudei, est in Latino & Syro, Græca pleraque in v. n. semper.

Versu 21. Iniuriam grauem sibi factam indicat: id ideo, ne agnosceret evideretur in responsione delictum. Non præbet alteram maxillam ne magis concitet, ut monet Augustinus.

Versu 36. Anabaptistarum error, non posse regnum Christi defendi armis, in Matthæo refutatus, &c.

Sanctorum
merita non
repugnans
Christi me-
ritis.